UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Repetitio Clem. I. Ut Clericorum De Officio Ordinarii

Aufréri, Étienne

Leodii, 1702

18. Fallentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63069

Visual Library

17 Fallentia.

Decimoseptimo fallit in Laico simoniaco, nam lata sententia ab Ecclesiastico poterit eum judex secularis punire, ita tenet Imo. *in allegat. cap. cum sit generale. & Ana. super rub. de simo.* veruntamen Sicul. *in alleg. cap.* 20 *cum sit*, dicit istud crimen esse merè Ecclesiasticum, & sic secularis non possit se intromittere, quia simonia dicitur esse hæresis. 1. *qu.* 3. *cap. altare & de hæresi. cap. quotiens.* Item & eius criminis originalis prohibitio processit ab Ecclesia, & secundum illius institutiones regulatur, ad quod not. 1. *q.* 1. *in summa.* quod intelligo quo ad cognitionem, sed lata sententia per Ecclesiasticum poterit augere pœnam Laico, sicut & dicit Antho. de crimine hæresis facta per judicem Ecclesiasticum declaratione, de quo tamen Sicul. *in prælleg. cap. cum sit. ait se dubitare.*

18. Fallentia.

Decimooctavo fallit in delicto commisso in Ecclesia 21
per Laicum: nam in hoc casu judex secularis habet cognitionem, etiamsi esset commissum in Clericum. *l. si quis in hoc genus. C. de Epis. & Cle. & ibi Bal. Imo. & Sicul. in cap. inter alia & c. fi. de immu. Eccl.* allegans Bart. ita tenuisse *in l. si cui. ff. de accusa. idem Sicul. in cap. cum sit generale. de fo. compet.* dicens se putare prædictam opinionem Bart. esse veriorem contraria opinione Pet. & Cy. *in l. præsent. C. de his qui ad Ecclesiam confu.* Ecclesia namque sicut ait, territorium non habet nisi respectu Clericorũ, & ideo se non impedit de delictis Laicorum etiam in Ecclesia commissis, idem Sali. *in aut. nulla communitas C. de Episc. & Cle.* Dicit tamen Sicu. *in prælleg. cap. fin,* negari non posse quin commiserit sacrilegium delinquendo in Ecclesia cum per hoc violaverit immunitatẽ maximè si eam sanguinis effusione polluerit, ut in *cap*

eum pro causa, & quod ibi no. *de sen, excommunicatio. &* 17. *qu.* 4. *cap. si quis domum: fa. cap. cum sit generale alle.* & ideo puniri possit de hoc crimine per judicem Ecclesiasticum, *fa. cap. quæsti.* 17. *quæst.* 4. *& quod no. in præalle. cap. cum pro causa.*

Nam & pro eodem delicto potest quis puniri variis pœnis, quando ex eo resultat diversa species delicti, ut plenè no. *per Barto. in l. senatus. ff. de accusat.* & sic potest intelligi glo. *in cap. virginibus* 27. *qu* 1. dicit enim Bartol. ubi supra, quod etiam si esset tale delictum, ex quo quis incurreret duplicem pœnam, quarum una esset civilis, alia Ecclesiastica, ut excommunicationis, quamvis à seculari judice quis foret absolutus vel condemnatus, & pœnam solvisset: nihilominus poterit condemnari à judice Ecclesiastico, ita dicit Iaco. But. & Bald. *in l. placet. penu. qu. C. de Sacrosanct. Eccle. Pet. de Ancha. in regula juris, ea quæ.* 9. *qu. lib.* 6. de quo etiam vide per *Bald. in l. cunctos populos* 6. *colum. C. de Sum. Trini. Ana. in cap. postulasti. ad fin. de judæ. Angel. in l. si. vacantia. C. de bon. vacan. lib.* 10. *per Bald. in l. officiales C. de Episcop. & Cle. & in l. nullum. C., de testimo. & Sicul in cap. tuæ. de procura.*

Ex quorum dictis videtur posse concludi, quod ubicunque crimen commissum est mixti fori, & per diversas leges diversæ pœnæ omninò separatæ statuuntur, quarum una per aliam non tollitur, punitus in uno foro de crimine, poterit de eodem in alio foro puniri, pro quo. *l. qui sepulcra. C. de sepulc. viol. & l.* 3. *ff. de libe. ho. exhi. & in l. quoties ff. de actio. & obli. & bonus text. in cap. felicis. de pœnis lib.* 6. *& ibi Ioan. Andr. in nov.*

& istud tenere videtur Sicu. *in prælleg. cap. tuæ.* quod est notandum & accidit quotidie, & facit ad ea quæ suprascripsi circa finem secundæ fallentiæ, hujus quartæ regulæ.

Sed quis extrahet, delinquentem in Ecclesia vel alibi delinquentem, & ad eam confugientem in casibus, in quibus immunitate gaudere non debet, breviter dic quod Laicus extrahetur per judicem secularem: ita tenet Io. Fa. *instit. de his qui sunt sui vel alieni juris in §. sed hoc tempore.* & & idem videtur velle Sic. *in alle. cap. inter alia penult. col.* licet aliter sentiant *Pe. & Cy. in alleg. l. præsenti. & Ange. in auth. si quis ei. C. de adulterio.* Opinio Io. Fa. de facto servatur.

19. Fallentia:

Decimonono fallit, ubi simpliciter agitur de fructibus decimarum inter duos Laicos vel per Clericum contra Laicum. Nam in hujusmodi casu judex secularis poterit cognoscere, cum non sit quæstio spiritualis, quod patet, quia Laico concedi possunt titulo locationis *cap. vestra. de loca. & vendi.* ut ibi no: *Ioan. An. & no. in cap. quamvis, de deci. glo. in cap. pervenit. 1. qu. 3. Bal. & Imol. in l. usufruct. no. in cap. causam. de præscrip. & cap. quamvis & cap. prohibemus de deci.* & hoc probatur optimè *in cap. postulasti. de homi.*

Nec obstat si dicatur, quod illud sit in suffragium per invocationem brachii secularis, qui ibi Papa in responsione gneraliter loquitur. Et ita dummodo agatur civiliter contra Laicum ad restitutionem fructuum decimarum